

Verbum est veritatis organo dominice vocis emissum, quod arbor, que terram
 5 inutiliter occupat, digna est, ut excidatur et in ignem mittatur et terra, que sub
 eius nociva occupatione inutilis et sterilis habebatur, per novam plantacionem ad
 fructificandum culturam recipiat congruentem¹.

Huic nimirum arbori I(ohannes), rex Anglie – si tamen rex dici debeat,
 qui nec se nec alios regit² – non immerito comparatur, qui actenus regnum
 10 Anglie perniciose occupavit, leges et iura proscripsit, scelus iusticiam
 reputavit et, sicut fama publica predicat³ et operis evidencia manifeste
 declarat, ad sanctuarium Dei irreverenter manus extendit⁴, ecclesiam Dei
 eius bona depopulando depressit⁵ et his non contentus flagiciis contra
 15 laborantes in agro Dominico eterni regis dispensatores irreverenter expulit et
 relegavit⁶.

Et nonne mirabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, si discipulus mag-
 istrum conetur sibi subiugare et iniquis obligacionibus illum sue potestati subicere,
 a quo credendum est non solum in terra, set etiam in celis se ligari (*fol. 43^r*)
 20 posse et solvi?⁷ Est aliud, quod sine dolore^c non dicimus, sine gemitu non

c) dolere *Hs.*

1) *Decr. II 14, 8* (ed. *HOLTZMANN, S. 190, 2 – S. 191, 5*): Veritatis est verbum organo dominice vocis emissum, quod arbor, que inutiliter terram occupat, digna excidi et in ignem mitti censetur, ut terra, que sub nociva occupatione inutilis arboris sterilis habebatur, per novam plantationem ad fructificandum culturam suscipiat congruentem.

2) *HILDEB. epist. 56+57** (ed. *ORTH, S. 235, 1*): Cum bene multis imperes, nulli melius imperas quam tibi. Vgl. *MIGNE PL 171, 172C*.

3) *Decr. II 14, 8* (ed. *HOLTZMANN, S. 191, 6–14*): Huic nimirum arbori Henricus quondam Curiensis episcopus non immerito comparatur, qui Curiensem ecclesiam usque modo perniciose detinuit et [...], sicut publica predicabat infamia, se homicidio, incestu, periurio, violatione fidei temeraria et aliis criminibus polluit et eandem ecclesiam Curiensem et alios quoslibet audientes scandalizari coegit.

4) *HILDEB. epist. 40* (ed. *ORTH, S. 228, 25f*): In Christum Malchus, in vasa templi Balthasar impune manus extendit. Vgl. *MIGNE PL 171, 227C*.

5) *Decr. II 14, 8* (ed. *HOLTZMANN, S. 190, 2 – S. 191, 11*): [...] predictam ecclesiam dilapidando depressit [...].

6) *THOM. BECK. epist. 82* (ed. *DUGGAN, S. 332*): Et sanctos apostolos eorum-que successores, sub divina testatione constitutos, precepisse legimus non debere persecutiones fieri, nec fluctuationes, nec invidere laborantibus in agro Dominico, nec a suis sedibus eterni regis expelli dispensatores. *Variation von D. 96 c. 16* (ed. *FRIEDBERG, Sp. 346*).

7) *THOM. BECK. epist. 82* (ed. *DUGGAN, S. 332*): Nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum, sibi conetur subiugare, et iniquis obligacionibus illum potestati sue subicere, a quo credere debet non solum in terra,